

strorum ecclesiae, Ministerio. Hinc est decretum Concil. Nicœni apud Theodoret. l. 1. *Histor. Eccles. c. 9.* Si quis fortè ecclesiae præsul obdormierit, jus esto Paulò ante receptis succedere in locum demortui, si modò & mereri videbuntur, & populus elegerit, *sic tamen ut suffragium & quasi consignatio accedat Episcopi Catholicæ Alexandrinæ Eccles. Eadem fuit sententia Conciliorum Antiocheni, Constantinopol. I. Carthagin. III. Aurelianensis III. Toletani IV. in Jur. Can. Decret. Imâ part. dist. 23. c. 1.* *Nulla ratio finit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à Clericis sint electi nec à plebibus expetiti, nec à comprovincialibus episcopis cum Metropol. judicio consecrati.* Antiquus etiam est Canon Stephani Episc. Rom. circa medium Sec. III. Sacerdotum est electio, populi fidelis est humiliter consentire. In Epist. Leonis 87. al. 89. decret. p. 1. dist. 63. c. 27. *Testimonia populorum, arbitrium honoratorum, electio clericorum in ordinationibus sacerdotum expectentur.* Vid. Cyprian. l. 1. Epistolarum Epist. 4. edit. Erasmi. ubi mentionem facit suffragii universæ fraternitatis & judicii episcoporum. Theodor. l. 4. hist. Eccles. c. 20. testatur, quod post obitum Athanasii, Petrus, vir præstantissimus sacerdotium suscepit, quem primus quidem Pontifex ille beatissimus suffragiò suo designavit episcopum, cuncti verò electionem comprobaverint, tam sacerdotalis ordinis viri, quàm Magistratus honorati: sed & universus populus læticiam suam faustis acclamationibus declaraverit.

§. 7. Hoc ipsum etiam ordinarunt passim Evangelicæ Ecclesiae, & Magistratus in Constitutionibus Ecclesiasticis, ut non excludatur ministerium ab electione ministrorum Ecclesiae. Eandem sententiam amplexi sunt semper nostrarum Ecclesiarum Doctores. Hinc Luth. Tom. 8. Jen. f. 327. illum furem & homicidam vocat, qui absque præscitu & consensu ministerii ad officium Ecclesiasticum admovetur. Vid. Luth. Tom. 6. f. 376. Martin. Chemnit. part. 3. LL. Theol. p. 325. scribit: Non licet pio Magistratui sine voluntate & consensu Ministerii & reliquæ Ecclesiae vocare & constituere ministros Ecclesiae. Eadem apud veteres Theologos, Mörlinum, Brentium, Heshusium, & Selneccerum reperire licet.

§. 8. Denique (5) res ipsa postulat, ut Ministerium in electione ministrorum Ecclesiae non excludatur: in primis enim requiritur, ut satis constet de eruditione ministri eligendi, & qualitatibus ejus & aptitudine ad officium Ecclesiasticum, de quibus nemo in Ecclesiâ rectius judicare potest, quam ministerium.